

quo tempore in solidum obligabantur: unde queritur, an post legem Furiam adhuc legis Apuleia beneficium supersit, et utique extra Italiam superest; nam lex quidem Furia tantum in Italia valet; Apuleia vero etiam in ceteris. . . . . Lex Apuleia non pertinet. Itaque si creditor ab uno totum consecutus fuerit, hujus solius detrimentum erit, scilicet si is pro quo fidejussit, solvendo non sit. Sed, ut ex supradictis apparet, is a quo creditor totum petit, poterit ex epistola divi Hadriani desiderare ut pro parte in se detur actio. — 125. Præterea lege. . . cautum est, ut is qui sponsores aut fidepromissores accipiat, prædicat palam et declaret, et de qua re satis accipiat, et quot sponsores aut fidepromissores in eam obligationem accepturus sit: et nisi prædixerit, permittitur sponsores et fidepromissoribus intra diem xxx præjudicium postulare, quo queratur an ex ea lege prædictum sit; et si judicatum fuerit prædictum non esse, liberantur. Qua lege fidejussorum mentio nulla fit; sed in usu est, etiam si fidejussores accipiamus, prædicere.

124. Sed beneficium legis Cornelie omnibus commune est: qua lege idem pro eodem apud eundem eodem anno vetatur in amplio rem summam obligari creditæ pecunie, quam in xx milium; et quamvis sponsor vel fidepromissor in amplio rem pecuniam, veluti si (in) sestertium c milia se obligaverit, non tamen tenebitur. Pecuniam autem creditam dicimus, non solum eam quam credendi causa damus, sed omnem quam tunc, cum contrahitur obligatio, certum est debitum iri, id est (quæ) sine ulla conditione deductur in obligationem. Itaque et ea pecunia quam in diem certum dari stipulamur, eodem numero est; quia certum est eam debitum iri, licet post tempus petatur. Appellationem autem pecunie omnes res in ea lege significantur; itaque si vinum vel frumentum, et si fundum vel hominem stipulemur, hæc lex observanda est. — 125. Ex quibusdam tamen causis permittit ea lex in infinitum satis accipere, veluti si dotis nomine, vel ejus quod ex testamento tibi debeat, aut jussu judicis satis accipiat. Et adhuc lege vicesima hereditatium cavetur, ut ad eas satisfactiones quæ ex ea lege proponuntur, lex Cornelia non pertineat. — 126. In eo jure quoque juris par conditio est omnium, sponsores, fidepromissorum, fidejussorum, quod ita obligari non possunt, ut plus debeant quam debet is pro quo obligantur; at ex diverso, ut minus debeant obligari possunt, sicut in adstipulatoris persona diximus. Nam ut adstipulatoris, ita et horum obligatio accessio est principalis obligationis; nec plus in accessione esse potest, quam in principali re. — 127. In eo quoque par omnium causa est, quod si quis pro reo solverit, ejus recipiendi causa habet cum eo mandati judicium; et hoc amplius sponsores ex lege Publilia propriam habent actionem in duplum, quæ appellatur depensi.

128. Litteris obligatio fit veluti in nominibus transcripticiis. Fit autem nomen transcripticium duplici modo: vel a re in personam, vel a persona in personam. — 129. (A re in personam) transcriptio fit, veluti si id quod ex emptionis causa aut conductionis aut societatis mihi debeas, id expensum tibi tulero. — 130. A persona in personam transcriptio fit; veluti si id quod mihi Titius debet, tibi id expensum tulero, id est, si Titius te delegaverit mihi. — 131. Alia causa est eorum nominum, quæ arcaria vocantur: in his enim rerum non litterarum obligatio consistit, quippe non aliter valent, quam si numerata sit pecunia; numeratio autem pecunie jure naturali facit obligationem. Qua de causa recte dicimus arcaria nomina nullam facere obligationem, sed obligationis factæ testimonium præbere. — 132. Unde proprie dicitur arcaris nominibus etiam peregrinos obligari, quia non ipso nomine, sed numeratione pecunie obligantur: quod genus obligationis juris gentium est. — 133. Transcripticiis vero nominibus obligentur peregrini, merito queritur, quia quodammodo juris civilis est talis obligatio: quod Nervæ placuit. Sabino autem et Cassio visum est, si a re in personam fiat nomen transcripticium, etiam peregrinos obligari; si vero a persona in personam, non obligari. — 134. Præterea litterarum obligatio fieri videtur chirographis et syngraphis, id est, si quis debere se aut daturum se scribat: ita scilicet, si eo nomine stipulatio non fiat. Quod genus obligationis proprium peregrinorum est.

135. Consensu fiunt obligationes in emptionibus et venditionibus; locationibus conductionibus, societatibus, mandatis. — 136. Ideo autem istis modis consensu dicimus obligationes contrahi, quia nec

1. Gaius, cum de sponsores et fidepromissoribus ad fidejussores transiret, talibus forte verbis usus est: *Alia sunt et fidejussorum conditiones; nam ad hoc lex Apuleia non pertinet.* — 2. Inst. III, 20, § 4. — 3. Sequitur spatium vacuum. — 4. Inst. III, 20, § 5. — 5. Id. § 6. — 6. Hæc de sponsores, fidepromissoribus et fidejussoribus leguntur; alia autem in Epist. et aliunde quam ex Gaii institutionibus. Locus (lib. 2, tit. 9, § 2) ita se habet: *Creditor autem qui pecuniam dedit, in potestate habet, ad reddendam pecuniam, quem veli tenere, utrum ipsam debitorum, an fidejussorem. Sed si debitorem tenere elegerit, fidejussorem absolvet; si vero fidejussorem tenuerit, debitorem absolvet; quia uno electo quem idoneum creditor judicavit, alterum liberat.* F. Paul. 2 sent. 17, § 16; 2 Inst. de mandat. — 7. Inst. III, 21, § 8. Sequitur spatium vacuum.

verborum neque scripture ulla proprietas desideratur; sed sufficit eos qui negotium gerunt, consensisse. Unde inter absentes quoque talia negotia contrahuntur, veluti per epistolam aut per internuntium; cum alioquin verborum obligatio inter absentes fieri non possit. — 137. Item in his contractibus alter alteri obligatur de eo quod alterum alteri ex bono et æquo præstare oportet: cum alioquin in verborum obligationibus alius stipuletur, alius promittat; et in nominibus alius expensum ferendo obliget, alius obligetur. — 138. Sed absentis expensum ferri potest, et si verbis obligatio cum absente contrahi non possit.

139. *Emptio et venditio contrahitur* cum de pretio convenerit, quamvis nondum pretium numeratum sit, ac ne arra quidem data fuerit: nam quod arra nomine datur, argumentum est emptionis et venditionis contractæ. — 140. Pretium autem certum esse debet; alioquin si ita inter eos convenerit ut, quanti Titius rem æstimaverit, tanti sit empti, Labeo negavit ullam vim hoc negotium habere: *quam sententiam* Cassius probat. Otilius et eam emptionem putat et venditionem: cuius opinionem Proculus secutus est. — 141. Item pretium in numerata pecunia consistere debet; nam in ceteris rebus an pretium esse possit, veluti (an) homo aut toga aut fundus alterius rei (pretium esse possit), valde queritur. Nostri præceptores putant, etiam in alia re posse consistere pretium: unde illud est quod vulgo putant, per permutationem rerum emptionem et venditionem contrahi, eamque speciem emptionis et venditionis vetustissimam esse; argumentoque utuntur græco poeta Homero, qui aliqua parte sic ait:

(Εἶθεν ἀρ' ἀνέχοντο κερκικίοντες Ἀχαιοί,  
 Ἄλλοι μὲν χάλκῳ, ἄλλοι δ' αἰῶνι σιδήρῳ,  
 Ἄλλοι δὲ ρυτίαι, ἄλλοι δ' αὐτῶσι βέλεσσιν,  
 Ἄλλοι δ' ἀνδραποδίσσιν.)

Diversæ scholæ auctores dissentiunt, aliudque esse existimant permutationem rerum, aliud emptionem et venditionem: alioquin non posse rem expediri, permutatis rebus, quæ videatur res venisse et quæ pretii nomine data esse; sed rursus utramque videri et venisse et pretii nomine datam esse, absurdum videri. Sed ait Cælius Sabinus, si rem a te venalem habente, veluti fundum, acceperim, et pretii nomine hominem forte dederim, fundum quidem videri venisse, hominem autem pretii nomine datum esse ut fundus acciperetur.

142. Locatio autem et conductionio similibus regulis constituuntur: nisi enim merces certa statuta sit, non videtur locatio et conductionio contrahi. — 143. Unde si alieno arbitrio merces promissa sit, veluti quanti Titius æstimaverit, queritur an locatio et conductionio contrahatur. Qua de causa si falloni polienda curandave, sarcinatori sarcienda vestimenta dederim, nulla statim mercede constituta, postea tantum daturus quantum inter nos convenerit, queritur an locatio et conductionio contrahatur. — 144. Velsi rem tibi atendam dederim, et invicem aliam rem utendam acceperim, queritur an locatio et conductionio contrahatur. — 145. Adco autem emptio et venditio et locatio et conductionio familiaritatem aliquam inter se habere videntur, ut in quibusdam causis queri solet utrum emptio et venditio contrahatur, an locatio et conductionio, veluti si qua res in perpetuum locata sit: quod eventum in prædiis municipum quæ ea lege locantur ut, quamdiu id vectigal præstetur, neque ipsi conductori neque heredi ejus prædium auferatur. Sed magis placuit locationem conductionemque esse. — 146. Item si gladiatores ea lege tibi tradiderim ut, in singulos qui integri exierint, pro sudore denarii xx mihi darentur, in eos vero singulos qui occisi aut debilitati fuerint, denarii mille, queritur utrum emptio et venditio, an locatio et conductionio contrahatur. Et magis placuit, eorum qui integri exierint, locationem et conductionem contractam videri; at eorum qui occisi aut debilitati sunt, emptionem et venditionem esse: idque ex accidentibus apparet, tamquam sub conditione facta cujusque venditione aut locatione. Jam enim non dubitatur quin sub conditione res veniri aut locari possint. — 147. Item queritur, si cum aurifice mihi convenerit ut is ex auro suo certi ponderis certaque formæ anulos mihi faceret, et acciperet verbi gratia denarios cc, utrum emptio et venditio, an locatio et conductionio contrahatur. Cassius ait, materiam quidem emptionem venditionem contrahi, operam autem locationem et conductionem; sed plerisque placuit emptionem et venditionem contrahi. Atqui si meum aurum ei dederim, mercede pro opera constituta, convenit locationem conductionem contrahi.

148. Societatem coire solemus aut totorum bonorum, aut unius aliquis negotii, veluti mancipiorum emendorum aut vendendorum.

1. Inst. III, 22, § 2. Id. 19, § 12. — 3. Id. 23, § 4. Id. 21, § 5. Id. 22, § 6. Id. 24, § 7. Id. 21, § 8. Id. 22, § 9. Id. 23, § 10. Id. 25, § 11. Id. 24, § 12. Id. 25, § 13.

149. Magna autem questio fuit an ita coiri possit societas, ut quis majorem partem lucratur, minorem damni præstet; quod Quintus Mucius etiam (contra naturam societatis esse censuit. Sed Quintus Sulpicius Cujus) prævaluit sententia, adeo ita coiri posse societatem existimavit, ut dixerit illo quoque modo coiri posse ut quis nihil omnino damni præstet, sed lucri partem capiat: si modo opera ejus tam pretiosa videatur, ut æquum sit eum cum hac partione in societatem admitti. Nam et ita posse coiri societatem constat, ut unus pecuniam conferat, alter non conferat, et tamen lucrum inter eos commune sit: sepe enim opera alicujus pro pecunia valet. — 150. Illud certum est, si de partibus lucri et damni nihil inter eos convenerit, tamen æquis ex partibus commodum ut incommodum inter eos commune esse. Sed si in altero partes expresse fuerint, velut in lucro; in altero vero omisse, in eo quoque quod omisum est, similes partes erunt. — 151. Manet autem societas eousque, donec in eodem sensu perseverant; at cum aliqui renuntiaverint societati, societas solvitur. Sed plane si quis in hoc renuntiaverit societati, ut obveniens aliquid lucrum solus habeat: veluti si mihi totorum bonorum socius, cum ab aliquo heres esset relictus, in hoc renuntiaverit societati ut hereditatem solus lucrificat, cogetur hoc lucrum communicare. Si quid vero aliud lucrificerit quod non captaverit, ad ipsum solum pertinet; mihi vero quidquid omnino post renuntiationem societatem adquisitur, soli conceditur. — 152. Solvitur adhuc societas etiam morte socii; quia qui societatem contrahit, certam personam sibi eligi. — 153. Dicitur et capitis diminutione solvi societatem, quia civili ratione capitis diminutio mortis. . . . dicitur; sed si adhuc consentiant in societatem, nova videtur incipere societas. — 154. Item si cujus ex sociis bona publice aut privatim venierint, solvitur societas; sed. . . . . consensu contrahitur nudo juris. . . . . omnes homines naturali ratione possunt.

155. Mandatum consistit, sive nostra gratia mandemus, sive aliena. . . . . negotia geras, sive ut alterius. . . . . obligatio, et invicem alter alteri tenemur. . . . . mihi bona fide præstare oportere. — 156. Nam si tua gratia tibi mandem, supervacuum est mandatum: quod enim tu tua gratia facturum sis, id ex tua sententia, non ex meo mandato facere videberis. Itaque si otiosam pecuniam domi te habere mihi dixeris, et ego te hortatus fuerim ut eam fenerares; quamvis eam ei mutuum dederis a quo servare non poteris, non tamen habebis mecum mandati actionem. Itaque et si hortatus sim ut rem aliquam emerem, quamvis non expedierit tibi eam emisse, non tamen. . . . . et adeo hæc ita sunt, ut queratur an mandati teneatur, qui mandavit tibi ut Titio pecuniam fenerares. . . . . quia non aliter Titio credidisses, quam si tibi mandatum esset. — 157. Illud. . . . . mandatum, quod contra bonos mores est, non contrahi obligationem: velut si tibi mandem ut Titio furtum aut injuriam facias. — 158. Item si quis post mortem meam (aliquid mihi) faciendum mandet, inutile mandatum est, quia generaliter placuit ab heredis persona obligationem incipere non posse. — 159. Sed recte quoque consummatum mandatum si, dum adhuc integra res sit, revocatum fuerit, evanescit. — 160. Item si adhuc integro mandato mors alterutrius interveniat, id est, vel ejus qui mandavit, vel ejus qui mandatum suscepit, solvitur mandatum; sed utilitatis causa receptum est, si mortuo eo qui mihi mandaverit, ignorans eum decessisse, exsecutus fuero mandatum, posse me agere mandati actione: alioquin justa et probabilis ignorantia damnum mihi adferret. Et hæc simile est quod perierit placuit, si debitor meus manumisso dispensatori meo per ignorantiam solverit, liberari eum; cum alioquin stricta juris ratione non posset liberari eo, quod alii solvisset quam cui solvere deberet. — 161. Cum autem is cui recte mandaverim, egressus fuerit mandatum, ego quidem eatenus cum eo habeo mandati actionem, quatenus mea interest implere eum mandatum, si modo implere poterit: at ille mecum agere non potest. Itaque si mandaverim tibi, ut verbi gratia fundum mihi sestertiis c emerem, tu sestertiis c emeris, non habebis mecum mandati actionem, etiamsi tanti velis mihi dare fundum, quanti emendum tibi mandassem: idque maxime Sabino et Cassio placuit. Quod si minoris emeris, habebis mecum scilicet actionem, quia qui mandat ut c milibus emeretur, is utique mandare intelligitur uti minoris, si possit, emeretur. — 162. In summa sciendum (est quoties faciendum) aliquid gratis dederim, quo nomine si mercedem statuissem, locatio et conductionio contraheretur, mandati esse actio-

nem: veluti si falloni polienda curandave vestimenta, aut sarcinatori sarcienda (dederim).

165. Expositis generibus obligationum quæ ex contractu nascuntur, admonendi sumus acquiri nobis, non solum per nosmetipsos, sed etiam per eas personas quæ in nostra potestate, manu mancipiove sunt. — 164. Per liberos quoque homines et alienos servos quos bona fide possidemus, acquiruntur nobis; sed tantum ex duabus causis, id est, si quid ex operis suis vel ex re nostra acquirant. — 165. Per eum quoque servum, in quo usufructum habemus, similiter ex duabus istis causis nobis acquiruntur. — 166. Sed qui nudum jus quiritium in servo habet licet dominus sit, minus tamen juris in ea re habere intelligitur quam usufructuarius et bonæ fidei possessor; nam placet ex nulla causa ei acquiri posse; adeo ut, etsi nominatim ei dari stipulatus fuerit servus, mancipiove nomine ejus acceperit, quidam existiment nihil ei acquiri. — 167. Communem servum pro dominica parte dominis acquirere certum est: excepto eo quod unum nominatim stipulando, aut mancipio accipiendo, illi soli acquirat; velut cum ita stipuletur, TITIO DOMINO MEO DARI SPONDES? aut cum ita mancipio accipiat, HANC REM EX JURE QUIRITUM LUCII TITII DOMINI MEI ESSE AIO, EAQUE EI EMPTA ESTO HOE ÆNEAQUE LIBRA. Illud queritur an quod domini nomen adjectum efficit, idem faciat unius ex dominis jussum intercedens. Nostri præceptores perinde ei qui jusserit, soli acquiri existimant, atque si nominatim ei soli stipulatus esset servus, mancipiove accepisset; diversæ scholæ auctores proinde utrisque acquiri putant ac si nullius jussum intervenisset.

168. Tollitur autem obligatio præcipue solutione ejus quod debeat. Unde queritur, si quis consentiente creditore aliud pro alio solverit, utrum ipso jure liberetur, quod nostris præceptoribus placet: an ipso jure maneat obligatus, sed adversus petentem exceptione doli mali defendi debeat, quod diversæ scholæ auctoribus visum est.

169. Item per acceptilationem tollitur obligatio; acceptilatio autem est veluti imaginaria solutio. Quod enim ex verborum obligatione tibi debeam, id si velis mihi remittere, poterit sic fieri ut patiaris hæc verba me dicere, QUOD EGO TIBI PROMISI HABESSE ACCEPTUM? et tu respondens, HABEO. — 170. Quo genere, ut diximus, (tantum ea solvuntur obligationes quæ ex verbis consistunt), non etiam ceteræ; consentaneum enim visum est, verbis factam obligationem posse aliis verbis dissolvi. Sed et id quod ex alia causa debeat, potest in stipulationem deduci: et per acceptilationem imaginaria solutione (dissolvi). — 171. Tamen mulier sine tutore acceptum facere non potest; cum alioquin solvi ei sine tutore auctore possit. — 172. Item quod debetur, pro parte. . . . . recte solvitur. An autem in partem acceptum fieri possit, questum est.

173. Est etiam alia species imaginariæ solutionis per æs et libram. Quod et ipsum genus certis in causis receptum est: veluti si quid eo nomine debeatur, quod per æs et libram gestum est, sive quid ex iudicati causa debitum (sit). — 174. Adhibetur autem non minus quam quinque testes et libripens; deinde is qui liberatur, ita oportet loquatur: QUOD EGO TIBI TOT MILIBUS EO NOMINE. . . . . SOLVO LIBERQUE HOC ÆRE ÆNEAQUE LIBRA HANC TIBI LIBRAM PRIMAM POSTERAM. . . . . deinde æsse percipit libram eamque dat ei a quo liberatur, veluti solvendi causa. — 175. Similiter legatarius heredem eodem modo liberat de legato quod per damnationem relictum est, ut tamen. . . . . esse significat. . . . . esse dicat. De eo tamen tantum potest hoc modo liberari, quod pendere, numero constat, et ita si certum sit: quidam et de eo quod mensura constat, idem existimant.

176. Præterea novatione tollitur obligatio, veluti si quod tu mihi debeas, a Titio dari stipulatus sis. Nam intervenitu novæ personæ nova nascitur obligatio, et prima tollitur translata in posteriorem: adeo ut interdum, licet posterior stipulatio inutilis sit, tamen prima novationis jure tollatur; veluti si quod mihi debes, a Titio post mortem ejus, vel a muliere pupillove sine tutore auctore stipulatus fuero. Quo casu rem amitto; nam et prior debitor liberatur, et posterior obligatio nulla est. Non idem juris est si a servo stipulatus fuero; nam tunc proinde adhuc obligatus tenetur, ac si postea a nullo stipulatus fuisset. — 177. Sed si eadem persona sit a qua postea stipuler, ita demum novatio fit, si quid in posteriore stipulatione novi sit; forte si conditio vel sponsor aut dies adiciatur aut detrahatur. — 178. Sed quod de sponsore dixi, non constat: nam diversæ scholæ auctoribus placuit, nihil ad novationem proficere sponsoris adjectionem aut detractationem. — 179. Quod autem diximus, si conditio adiciatur novationem fieri, sic intelligi oportet, ut

1. Inst. III, 25, § 2. — 2. Id. 24, § 1, et 25, § 3. — 3. Id. 25, § 4. — 4. Id. 25, § 5. Id. 25, § 6. Id. 26, § 7. Id. 26, § 8. Id. 27, § 9. Id. 27, § 10. Id. 29, § 11. Id. 29, § 12. Id. 28, § 13.

1. Inst. III, 26, § 15. — 2. Id. 28, § 3. Id. 28, § 4. Id. 28, § 5. Id. 28, § 6. Id. 28, § 7. Id. 29, § 8. Id. 29, § 9. Id. 29, § 10. Id. 29, § 11. Id. 29, § 12. Id. 29, § 13.



ita dicamus factam novationem si conditio extiterit: alioquin si defecerit, durat prior obligatio<sup>1</sup>. Sed, videamus num is qui eo nomine agit, doli mali aut pacti conventi exceptione possit summoveri: et videtur inter eos id actum ut ita ea res peteretur, si posterioris stipulationis extiterit conditio. Servius tamen Sulpicius existimavit, statim et pendente conditione novationem fieri, et si defecerit conditio, ex neutra causa agi posse, eo modo rem perire. Qui consequenter et illud respondit: si quis id quod sibi Lucius Titius deberet a servo fuerit stipulatus, novationem fieri et rem perire, quia cum servo agi non potest: sed in utroque casu alio jure utitur. Non magis his casibus novatio fit, quam si id quod tibi mihi debeas, a peregrino cum quo sponsionis communio non est, spondes verbo stipulatus sim<sup>2</sup>.

180. Tollitur adhuc obligatio litis contestatione, si modo legitimo iudicio fuerit actum: nam tunc obligatio quidem principalis dissolvitur, incipit autem teneri reus litis contestatione. Sed si condemnatus sit, sublata litis contestatione, incipit ex causa iudicati teneri: et hoc (est) quod apud veteres scriptum est, ante litem contestatam dare debitorem oportere, post litem contestatam condemnari oportere, post condemnationem iudicatum facere oportere. — 181. Unde fit ut, si legitimo iudicio debitor petierit, postea de eo ipso jure agere non possim: quia inutiliter intendo, DARI MIHI OPORTERE, quia litis contestatione dari oportere lesit: aliter atque si imperio continenti iudicio egerim; tunc enim nihilominus obligatio durat, et ideo ipso jure postea agere possum, sed lebeo per exceptionem rei iudicate vel in iudicium deducta summoveri. Quae autem (sunt) legitima iudicia, et quae imperio continentur, sequenti commentario referemus.

182. Transeamus nunc ad obligationes quae ex delicto oriuntur; veluti, si quis furtum fecerit, bona rapuerit, damnus dederit, injuriam commiserit: quarum omnium rerum uno genere consistit obligatio, cum ex contractu obligationes in IV genera deducantur, sicut supra exposuimus<sup>3</sup>.

183. Furtorum autem genera Servius Sulpicius et Masurius Sabinus IV esse dixerunt, manifestum et nec manifestum, conceptum et oblatum; Laeob duo, manifestum, nec manifestum: nam conceptum et oblatum species potius actionis esse furto coherentes, quam genera furtorum; quod sane verius videtur, sicut inferius apparebit<sup>4</sup>. — 184. Manifestum furtum quidam id esse dixerunt, quod dum fit deprehenditur: alii vero ulterius, quod eo loco deprehenditur ubi fit; veluti si in oliveto olivarum, in vineo uvarum furtum factum est, quamdiu in eo oliveto aut vineo fur sit; aut si in domo furtum factum sit, quamdiu in ea domo fur sit. Alii adhuc ulterius, manifestum furtum esse dixerunt, donec perferret eo quo perferre fur destinasset: alii adhuc ulterius, quandoque eam rem fur tenens visus fuerit; quae sententia non obtinuit. Sed et illorum sententia qui existimaverunt, donec perferret eo quo fur destinasset, deprehensum furtum, aliquid, dationem, etiam plurium dierum spatio id terminandum sit: quod eo pertinet, quia saepe in aliis civitatibus subreptas res in alias civitates vel in alias provincias destinat fur perferre. Ex duabus itaque superioribus opinionibus alterutra approbatur: magis tamen perique posteriorem probant<sup>5</sup>. — 185. Nec manifestum furtum quod sit, ex his quae diximus intelligitur: nam quod manifestum non est, id nec manifestum est<sup>6</sup>. — 186. Conceptum furtum dicitur, cum apud aliquem testibus presentibus furtiva res quaesita et inventa est: nam in eum propria actio constituta est, quamvis fur non sit, quae appellatur concepti<sup>7</sup>. — 187. Oblatum furtum dicitur, cum res furtiva tibi ab aliquo oblata sit, eaque apud te concepta sit: utique si ea mente data tibi fuerit ut apud te potius, quam apud eum qui dederit, conciperetur; nam tibi, apud quem concepta est, propria adversus eum qui obtulit, quamvis fur non sit, constituta est actio, (quae) appellatur oblata<sup>8</sup>. — 188. Est etiam prohibiti furti, adversus eum qui furtum quaerere volentem prohibuerit.

189. Pena manifesti furti ex lege XII tabularum capitalis erat: nam liber verberatus addicebatur ei cui furtum fecerat. Utrum autem servus efficeretur ex additione, an ad iudicium loco constitueretur, veteres quaerebant. In eum autem, qui, postea improbatam est asperitas poenae, et tam ex servi persona quam ex liberi, quadrupli actio praetoris edicto constituta est<sup>9</sup>. — 190. Nec manifesti furti poena per legem (XII) tabularum dupli irrogatur, quam etiam praetor conservat<sup>10</sup>. — 191. Concepti et oblata poena ex lege XII tabularum tripli est; quae similiter a praetore servatur. — 192. Prohibiti actio quadrupli ex edicto praetoris introducta (est): lex autem eo nomine nullam poenam constituit: hoc solum praecipit ut qui quaerere velit, nudus quaerat, linteo cinctus, lanceam

1. Inst. III, § 3. — 2. Sequitur spatium vacuum. — 3. Inst. IV, 1. — 4. Id. § 3. — 5. Sequitur spatium vacuum. — 6. Inst. IV, 1, § 3. — 7. Id. § 4. — 8. Id. § 5, et 6, § 25. — 10. Id. et 6, § 25.

habens; qui si quid invenerit, jubet id lex furtum manifestum esse<sup>1</sup>. — 193. Quid sit autem linteum, quaesitum est: sed verius est, consuti genus esse quo necessariae partes tegerentur. Quare lex tota ridicula est; nam qui vestitum quaerere prohibet, is et nudum quaerere prohibetur: est: eo magis quod ita quaesita res inventa majori poenae subijcitur; deinde quod lanceam sive ideo haberi jubet, ut manibus occupantis nihil subijcitur, sive ideo ut quod invenerit ibi imponat, neutrum eorum procedit si id quod quaeratur, ejus magnitudinis aut naturae sit, ut neque subijci neque ibi imponi possit. Certe non dubitatur, cujuscumque materiae sit ea lanx, satis legi fieri<sup>2</sup>. — 194. Propter hoc tamen, quod lex ea causa manifestum furtum esse jubet, sunt qui scribunt, furtum manifestum aut lege aut natura (intelligi): lege, id ipsum de quo loquimur; natura, illud de quo superius exposuimus: sed verius est, natura tantum manifestum furtum intelligi: neque enim lex facere potest ut qui manifestus fur non sit, manifestus sit; non magis quam, (aut) qui omnino fur non sit, fur sit, et qui adulter aut homicida non sit, adulter vel homicida sit: at illud sane lex facere potest, ut perinde aliquis poena teneatur atque si furtum vel adulterium vel homicidium admisisset, quamvis nihil eorum admisisset.

195. Furtum autem fit, non solum cum quis intercepti causa rem alienam amovet, sed generaliter cum quis rem alienam invito domino contractat<sup>3</sup>. — 196. Itaque si quis re quae apud eum deposita sit utatur, furtum committit; et si quis utendam rem acceperit, eamque in alium usum transtulerit, furti obligatur<sup>4</sup>: veluti si quis argentum utendum acceperit, (quod) quasi amicos ad cenam invitatorum rogaverit, et id peregre secum tulerit; aut si quis equum gestandi gratia commodatum longius secum aliquid duxerit, quod veteres scripserunt de eo qui in aciem perduxisset<sup>5</sup>. — 197. Placuit tamen eos, qui rebus commodatis aliter uterentur quam utendas acceperant, ita furtum committere si intelligant id se invito domino facere, eumque si intellexisset non permissurum; et si permissurum crederent, extra furti crimen videri: optima sane distinctio, quia furtum sine dolo malo non committitur<sup>6</sup>. — 198. Sed et si credat aliquis invito domino se rem contractare, domino autem volente id fiat, dicitur furtum non fieri. Unde illud quaesitum est, cum Titius servum meum sollicitaverit ut quasdam res mihi subriperet et ad eum perferret, (et servus) id ad me perterit; ego (autem) cum volo Titium in ipso delicto deprehendere, permiserim servo quasdam res ad eum perferre: utrum furti, an servi corrupti iudicio teneatur Titius mihi, an neutro<sup>7</sup>. Responsum, neutro eum teneri: furti ideo quod non invito me res contractaret; servi corrupti ideo quod deterior servus factus non est. — 199. Interdum autem etiam liberorum hominum furtum fit; veluti si quis liberorum nostrorum qui in potestate nostra sunt, sive etiam uxor quae in manu nostra sit, sive etiam iudicatus vel auctoratus meus subreptus fuerit<sup>8</sup>. — 200. Aliquando etiam sae rei quisque furtum committit; veluti si debitor rem quam creditor pignori dedit, subtraxerit<sup>9</sup>, vel si bona fidei possessori rem meam possidenti subriperim<sup>10</sup>. Unde placuit eum qui servum suum, quem alius bona fide possidebat, ad se reversum celaverit, furtum committere. — 201. Rursus ex diverso interdum (rem) alienam occupare et usucapere concessum est, nec creditur furtum fieri: veluti res hereditarias, quarum, . . . nactus possessionem, . . . necessarius heres esset; nam necessario herede extante, placuit ut pro herede usucapi possit. Debitor quoque qui fiduciam, quam creditori mancipaverit aut in iure cesserit, delinet, ut superiore commentario retulimus, sine furto possidere et usucapere potest. — 202. Interdum furti tenetur, qui ipse furtum non fecerit: qualis est, cujus ope consilio furtum factum est: in quo numero est, qui nummos tibi excussit ut eos alius subriperet, vel obtulit tibi alius subriperet, aut oves tuas aut boves fugavit ut alius eas exciperet; et hoc veteres scripserunt de eo qui panno rubro fugavit armentum. Sed si quid per lasciviam, et non data opera ut furtum committeretur, factum sit, videbimus an utilis Aquiliae actio dari debeat<sup>11</sup>, cum per legem Aquiliam quae de damno lata (est), etiam culpa puniatur.

203. Furti autem actio ei competit, cujus interest rem salvam esse, licet dominus non sit: itaque nec domino aliter competit, quam si ejus intersit rem non perire<sup>12</sup>. — 204. Unde constat, creditorem de pignore subrepto furti agere posse: adeo quidem ut, quamvis ipse dominus, id est, ipse debitor eam rem subriperit, nihilominus creditori competat actio furti<sup>13</sup>. — 205. Item si fullo polienda curandave, aut sarcinator scienda vestimenta mercede certa acciperit, eaque furto amiserit, ipse furti habet actionem, non dominus: quia domini nihil interest ea non perisse, cum iudicio locati a fullone aut sarcinatorum suum perscqui possit<sup>14</sup>, si modo is fullo aut sarcinator (ad) rem prestandam sufficit; nam si

206. Furti autem actio ei competit, cujus interest rem salvam esse, licet dominus non sit: itaque nec domino aliter competit, quam si ejus intersit rem non perire<sup>12</sup>. — 204. Unde constat, creditorem de pignore subrepto furti agere posse: adeo quidem ut, quamvis ipse dominus, id est, ipse debitor eam rem subriperit, nihilominus creditori competat actio furti<sup>13</sup>. — 205. Item si fullo polienda curandave, aut sarcinator scienda vestimenta mercede certa acciperit, eaque furto amiserit, ipse furti habet actionem, non dominus: quia domini nihil interest ea non perisse, cum iudicio locati a fullone aut sarcinatorum suum perscqui possit<sup>14</sup>, si modo is fullo aut sarcinator (ad) rem prestandam sufficit; nam si

1. Inst. IV, 1, § 4. — 2. Id. — 3. Id. § 6. — 4. Id. — 5. Id. — 6. Id. § 7. — 7. Id. § 8. — 8. Id. § 9. — 9. Id. § 10. — 10. Id. § 15. — 11. Id. § 11. — 12. Id. § 15. — 13. Id. § 14. — 14. Id. § 15.

solvendo non est, tunc quia ab eo dominus suum consequi non potest, ipsi furti actio competit, quia hoc casu ipsius interest rem salvam esse<sup>1</sup>. — 206. Quae de fullone aut sarcinatoro diximus, eadem transferemus et ad eum cui rem commodavimus: nam ut illi mercedem capiendi custodiam praestant, ita hic quoque utendo, commodum percipiendo, similiter necesse habet custodiam praestare<sup>2</sup>. — 207. Sed is, apud quem res deposita est, custodiam non praestat, tantumque in eo obnoxius est si quid ipse dolo fecerit. Quae de causa, (si) res ei subrepta fuerit quae restituenda est, ejus nomine depositi non tenetur, nec ob id ejus interest rem salvam esse: furti itaque agere non potest; sed ea actio domino competit<sup>3</sup>.

208. In summa sciendum est quaesitum esse, an impubes rem alienam amovendo furtum faciat: plerisque placet, quia furtum ex adfectu consistit, ita demum obligari eo crimine impuberem, si proximus pubertati sit, et ob id intelligat se delinquere<sup>4</sup>.

209. Qui res alienas rapit, tenetur etiam furti: quis enim magis alienam rem invito domino contractat, quam qui rapit? itaque recte dictum est, eum improbum furem esse. Sed propria actionem ejus delicti nomine praetor introduxit, quae appellatur vi bonorum raptorum: et est intra annum quadrupli actio, post annum simpli. Quae actio utilis est, etsi quis unam rem, licet minimam, rapuerit<sup>5</sup>.

210. Damni injuriae actio constituitur per legem Aquiliam, cujus primo capite cautum (est), si quis hominem alienum, canem quadrupedem quae pecudum numero sit, injuria occiderit, quanti ea res in eo anno plurimi fuerit, tantum domino dare damnetur<sup>6</sup>. — 211. Is injuria autem occidere intelligitur, cujus dolo aut culpa id acciderit: nec ulla alia lege damnum quod sine injuria datur, reprehenditur. Itaque impunitus est, qui sine culpa et dolo malo casu quodam damnum committit<sup>7</sup>. — 212. Nec solum corpus in actione hujus legis aestimatur, sed sane si servo occiso plus dominus capiat damni quam pretium servi, id quoque aestimatur: veluti si servus meus ab aliquo heres institutus, antequam jussu meo hereditatem carneret, occisus fuerit; non enim tantum ipsius pretium aestimatur, sed et hereditatis amissa quantitas. Item si ex gemellis vel ex comediis vel ex symphoniacis unus occisus fuerit, non solum occisi fit aestimatio, sed eo amplius computatur quod ceteri qui supersunt, depretiati sunt. Idem juris est etiam, si (quis) ex pari mularum unam, vel etiam ex quadriga equorum unum occiderit<sup>8</sup>. — 213. Cujus autem servus occisus est, is liberum arbitrium habet, vel capitali crimine reum facere eum qui occiderit, vel hac lege damnum persequi<sup>9</sup>. — 214. Quod autem adjectum est in hac lege, QUANTI IN EO ANNO PLURIMI EA RES FUERIT, illud efficit (ut), si (quis) claudum puta, aut usum servum occiderit, qui in eo anno integer fuerit, aestimatio fiat (non quanti mortis tempore, sed quanti in eo anno plurimi fuerit): quo fit ut quis plus interdum consequatur, quam et damnum datum est<sup>10</sup>.

215. Capite secundo (in) adstipulatorem qui pecuniam in fraudem stipulatoris acceptam fecerit, quanti ea res esset, tanti actio constituitur<sup>11</sup>.

— 216. Quae et ipsa parte legis damni nomine actionem introduci manifestum est; sed id caveri non fuit necessarium, cum actio mandati ad eam rem sufficeret, nisi quod ea lege adversus inlitantem in duplum agitur.

217. Capite tertio, de omni cetero damno cavetur. Itaque si quis servum, vel eam quadrupedem quae pecudum numero (est, vulneraverit; sive eam quadrupedem quae pecudum numero) non est, veluti canem aut feram bestiam, veluti ursum, leonem, vulneraverit vel occiderit, ex hoc capite actio constituitur. In ceteris quoque animalibus, item in cunctis rebus quae anima carent, damnum injuria datum hac parte vindicatur: si quid enim ustum aut ruptum aut fractum (fuerit), actio hoc capite constituitur, quamquam potuerit sola rupti appellatio in omnes istas causas sufficere; ruptum (enim) intelligitur quod quoquo modo corruptum est. Unde non solum usta aut rupta aut fracta, sed etiam scissa et collisa et effusa et, . . . aut perempta atque deteriora facta hoc verbo continentur<sup>12</sup>. — 218. Hoc tamen capite non quanti in eo anno, sed quanti in diebus xxx proximis ea res fuerit, damnatur is qui damnum dederit<sup>13</sup>. Ac ne plurimum quidem verbum adjicitur; et ideo quidam, putaverunt, liberum esse, . . . diebus, . . . adjiceret, quo plurimi res fuit, vel eum quo minoris fuit. Sed Sabinus placuit, perinde habendum ac si etiam hac parte plurimum verbum adjectum esset: nam legis latorum contentum fuisse (quod prima parte eo verbo usus esset)<sup>14</sup>. — 219. Et placuit ita demum ex ista lege actionem esse, si quis corpore suo damnum dederit: atqui alio modo damno data utiles actiones dantur, veluti si quis alienum hominem aut pecudem incluserit et fame necaverit, aut jumentum tam vehementer egerit ut rumpetur; (aut) si quis alieno servo per-

219. Et placuit ita demum ex ista lege actionem esse, si quis corpore suo damnum dederit: atqui alio modo damno data utiles actiones dantur, veluti si quis alienum hominem aut pecudem incluserit et fame necaverit, aut jumentum tam vehementer egerit ut rumpetur; (aut) si quis alieno servo per-

1. Inst. IV, 1, § 15. — 2. Id. § 16. — 3. Id. § 17. — 4. Id. § 18. — 5. Id. § 1. — 6. Id. § 1. — 7. Id. § 2 et 3. — 8. Id. § 10. — 9. Id. § 11. — 10. Id. § 9. — 11. Id. § 12. — 12. Id. § 15. — 13. Id. § 14. — 14. Id. § 15.

suaserit ut in arborem ascenderet, vel in puteum descenderet, et is ascendendo aut descendendo occiderit aut mortuus fuerit, aut aliqua parte corporis laesus sit. Item si quis alienum servum de ponte aut ripa in flumen projecerit, et is suffocatus fuerit, hunc corpore suo damnum dedisse eo quod projecerit, non diffici-liter intelligi potest<sup>1</sup>.

220. Injuria autem committitur, non solum cum quis pugno pulsatus aut fuste percussus vel etiam verberatus erit, sed et si cui convicium factum fuerit; sive quis bona alicujus quasi debitoris, sciens eum nihil debere sibi, proscripserit; sive quis ad infamiam alicujus libellum aut carmen scripserit; sive quis matremfamilias aut praetextatum ad sectatus fuerit; et denique aliis pluribus modis<sup>2</sup>. — 221. Pati autem injuriam videmur non solum per nosmetipsos, sed etiam per liberos nostros quos in potestate habemus; item per uxores nostras, quae in manu nostra sunt. Itaque si, . . . filiae meae quae Titio nupta est, injuriam fecerit, non solum filiae nomine tecum agi injuriarum potest, verum etiam meo quoque et Titii nomine<sup>3</sup>. — 222. Servo autem ipsi quidem nulla injuria intelligitur fieri, sed domino per eum fieri videtur; non tamen isdem modis quibus etiam per liberos nostros vel uxores injuriam pati videmur, sed ita cum quid atrocius commissum fuerit, quod aperte in contumeliam domini fieri videtur: veluti si quis alienum servum verberaverit; et in hunc casum formula proponitur. At si quis servo convicium fecerit, vel pugno eum percusserit, non proponitur ulla formula, nec temere petenti datur<sup>4</sup>.

223. Pena autem injuriarum ex lege XII tabularum, propter membrum quidem ruptum talio erat; propter os vero fractum aut collisum, trecentorum assium poena erat, veluti si libero os fractum erat; at si servo, etc. Propter ceteras vero injurias, xxv assium poena erat constituta; et videbantur illis temporibus, in magna paupertate, satis idoneae istae pecuniariae poenae<sup>5</sup>. — 224. Sed nunc alio jure utimur: permittitur enim nobis a praetore ipsius injuriam aestimare; et iudex vel tanti condemnat quanti nos aestimaverimus, vel minoris, prout illi visum fuerit<sup>6</sup>. Sed cum atrocem injuriam praetor aestimare soleat, si simul constituerit quante pecunie nomine fieri debeat vadimonium, hac ipsa quantitate taxamus formulam; et iudex quamvis possit vel minoris dammare, plerumque tamen propter ipsius praetoris auctoritatem non audeat minuire condemnationem. — 225. Atrox autem injuria aestimatur vel ex facto, veluti si quis ab aliquo vulneratus aut verberatus fustibus casus fuerit; vel ex loco, veluti si cui in theatro aut in foro injuria facta sit; vel ex persona, veluti si magistratus injuriam passus fuerit, vel senatoribus ab humili persona facta sit injuria<sup>7</sup>.

COMMENTARIUS QUARTUS.

1. . . . . Quot genera actionum sint, verius videtur duo esse, in rem, et in personam<sup>1</sup>; nam qui IV esse dixerunt ex sponsionum generibus, non animadvertunt quasdam species actionum inter genera se retulisse. — 2. In personam actio est, quotiens cum aliquo agimus qui nobis vel ex contractu vel ex delicto obligatus est, id est, cum intendimus dare facere praestare oportere<sup>2</sup>. — 3. In rem actio est cum ad corporalem rem intendimus nostram esse aut jus aliquod nobis competere, veluti utendi aut utendi fruendi, eundi, agendi, aquaeve ducendi vel alius tollendi vel prospiciendi. Item actio ex diverso adversario est negativa<sup>3</sup>. — 4. Sic itaque discretis actionibus certum est, non posse nos rem nostram ab alio ita petere, si PARET EUM DARE OPORTERE: nec enim quod nostrum est, nobis dari potest; cum solum id dari nobis intelligatur, quod (ita datur ut) nostrum fiat; nec res quae nostra (est), amplius (nostra) fieri potest. Plane odio furum, quo magis pluribus actionibus teneantur, effectum est ut extra poenam dupli aut quadrupli, rei recipiendae nomine fures ex hac actione etiam teneantur, si PARET EOS DARE OPORTERE; quamvis sit etiam adversus eos hac actio qua rem nostram esse petimus<sup>4</sup>. — 5. Appellatur autem in rem quidem actiones, vindicationes; in personam vero actiones, quibus dari fieri oportere intendimus, conditiones<sup>5</sup>.

1. Inst. IV, § 2, 16. — 2. Id. § 1. — 3. Id. § 2. — 4. Id. § 2, 5. — 5. Id. § 7. — 6. Id. — 7. Id. § 9. — In Cod., versus finem hujus paginae, majoribus litteris scriptum extat LIT. III. praeter et sequitur pagina vacua. — 8. Praeter rubricam, si qua fuit, tale quid hoc loco deperditum videtur: Supra et ut de actibus loquamur. Quid si quaeritur quot genera, etc. V. pr. inst. de actum. — 9. Inst. IV, § 1. — 10. Id. — 11. Id. § 1 et 2. — 12. Id. § 14. — 13. Id. § 15.